



Procedimiento selectivo de estabilización por el sistema de concurso oposición para ingreso en los Cuerpos de Profesores de Enseñanza Secundaria, Escuelas Oficiales de Idiomas, Música y Artes Escénicas y Artes Plásticas y Diseño. (Convocatoria 20 de diciembre de 2022)
ESPECIALIDAD: LATÍN

PRUEBA SEGUNDA (B 2) — PARTE PRÁCTICA

TEXTO PARA TRADUCIR SIN DICCIONARIO

M. FABII QVINTILIANI INSTITVTIO ORATORIA LIBER SECVNDVS

XVI. An utilis.

[1] Sequitur quaestio an utilis rhetorice. Nam quidam uehementer in eam inuehi solent, et, quod sit indignissimum, in accusationem orationis utuntur orandi uiribus: [2] eloquentiam esse quae poenis eripiat scelestos, cuius fraude damnentur interim boni, consilia ducantur in peius, nec seditiones modo turbaeque populares sed bella etiam inexpiabilia excitentur, cuius denique tum maximus sit usus cum pro falsis contra ueritatem ualet. [3] Nam et Socrati obiciunt comici docere eum quo modo peiorem causam meliorem faciat, et contra Tisian¹ et Gorgian similia dicit polliceri Plato. [4] Et his adiciunt exempla Graecorum Romanorumque, et enumerant qui perniciosi non singulis tantum sed rebus etiam publicis usi eloquentia turbauerint ciuitatum status uel euerterint, eoque et Lacedaemoniorum ciuitate expulsam et Athenis quoque, ubi actor mouere adfectus uetabatur [5] Quo quidem modo nec duces erunt utiles nec magistratus nec medicina nec denique ipsa sapientia: nam et dux Flaminius et Gracchi, Saturnini, Glaucia magistratus, et in medicis uenena, et in iis qui philosophorum nomine male utuntur grauissima nonnumquam flagitia deprehensa sunt. [6] Cibos aspernemur: attulerunt saepe ualetudinis causas; numquam tecta subeamus: super habitantes aliquando procumbunt; non fabricetur militi gladius: potest uti eodem ferro latro.

[7] Num igitur negabitur deformem Pyrrhi pacem Caecus ille Appius dicendi uiribus diremisse? [8] Non perterritos militum animos frequenter a metu reuocat oratio et tot pugnandi pericula ineuntibus laudem uita potiore esse persuadet? [9] Equidem nec urbium conditores reor aliter effecturos fuisse ut uaga illa multitudo coiret in populos nisi docta uoce commota, nec legum repertores sine summa ui orandi consecuturos ut se ipsi homines ad seruitutem iuris adstringerent. [10] Quin ipsa uitae praecepta, etiamsi natura sunt honesta, plus tamen ad formandas mentes ualent quotiens pulchritudinem rerum claritas orationis illuminat. Quare, etiamsi in utramque partem ualent arma facundiae, non est tamen aequum id haberi malum quo bene uti licet.

¹ Tisias, -ae (m). Tisias de Siracusa (nombre de uno de los supuestos padres de la elocuencia)



PRUEBA SEGUNDA (B 2) — PARTE PRÁCTICA

TEXTO EN PROSA PARA TRADUCIR CON DICCIONARIO (COMENTARIO SINTÁCTICO Y DE REALIA)

P. CORNELI TACITI ANNALIVM LIBER QVINTVS DECIMVS

[38] **Sequitur clades, forte an dolo principis incertum** (nam utrumque auctores prodidere), sed omnibus, quae huic urbi per uiolentiam ignium acciderunt, grauior atque atrocior. initium in ea parte circi ortum, quae Palatino Caelioque montibus contigua est, ubi per tabernas, quibus id mercimonium inerat, quo flamma alitur, simul coeptus ignis et statim ualidus ac uento citus longitudinem circi corripuit. Neque enim domus munimentis saeptae uel templa muris cincta aut **quid aliud morae interiacebat**. impetu peruagatum incendium, plana primum, deinde in edita adsurgens et rursus inferiora populando anteit remedia uelocitate mali et obnoxia urbe artis itineribus hucque et illuc flexis atque enormibus uicis, qualis uetus Roma fuit. ad hoc lamenta pauentium feminarum, fessa aetate aut rudis pueritiae, quique sibi quique aliis consulebant, dum trahunt inualidos aut opperiantur, pars mora, pars festinans, cuncta impediabant. et saepe, dum in tergum respectant, lateribus aut fronte circumueniebantur. **postremo, quid uitarent quid peterent ambigui, complere uias, sterni per agros.**

[39] Eo in tempore Nero Anti agens non ante in urbem regressus est quam domui eius, qua Palatium et Maecenatis hortos continuauerat, ignis propinquaret. **neque tamen sisti potuit, quin et Palatium et domus et cuncta circum haurirentur**. sed solacium populo exturbato ac profugo campum Martis ac monumenta Agrippae, hortos quin etiam suos patefecit et subitaria aedificia extruxit, quae multitudinem inopem acciperent; subuectaque utensilia ab Ostia et propinquis municipiis, pretiumque frumenti minutum usque ad ternos nummos. quae quamquam popularia in inritum cadebant, quia peruaserat rumor ipso tempore flagrantis urbis inisse eum domesticam scaenam et cecinisse Troianum excidium, praesentia mala uetustis cladibus adsimulantem.

[40] Sexto demum die apud imas Esquilias finis incendio factus plusque infamiae id incendium habuit, quia **uidebatur Nero condendae urbis nouae et cognomento suo appellandae gloriam quaerere.**

[41] Domuum et insularum et templorum, quae amissa sunt, numerum inire haud promptum fuerit; sed uetustissima religione, quod Seruius Tullius Lunae, et magna ara fanumque, quae praesenti Herculi Arcas Euander sacrauerat, aedesque Satoris Iouis uota Romulo Numaeque regia et delubrum Uestae cum penatibus populi Romani exusta.

- Comentario sintáctico de los fragmentos resaltados en negrita. (1 PUNTO)
- Comentario de realia de las palabras o grupos de palabras subrayados. (1 PUNTO)



TEXTO EN VERSO PARA TRADUCIR CON DICCIONARIO (COMENTARIO FONÉTICO, MORFOLÓGICO Y MÉTRICO)

C. VALERIVS CATVLLVS, LXIV

Nam perhibent olim crudeli peste coactam Androgeoneae poenas exsoluere caedis electos iuuenes simul et decus innuptarum Cecropiam solitam esse dapem dare Minotauro.	
quis angusta malis cum moenia uexarentur, ipse suum Theseus pro caris corpus Athenis proicere optauit potius quam talia Cretam funera Cecropiae nec funera portarentur. atque ita naue leui nitens ac lenibus auris magnanimum ad Minoa uenit sedesque superbas.	80 85
hunc simul ac cupido conspexit lumine uirgo regia, quam suauiis exspirans castus odores lectulus in molli complexu matris alebat, quales Eurotae praecingunt flumina myrtus aurae distinctos educit uerna colores, non prius ex illo flagrantia declinavit lumina, quam cuncto concepit corpore flammam funditus atque imis exarsit tota medullis. heu misere exagitans immiti corde furores sancte puer, curis hominum qui gaudia misces,	90 95
qualibus incensam iactastis mente puellam fluctibus, in flauo saepe hospite suspirantem! quantos illa tulit languenti corde timores! quanto saepe magis fulgore expalluit auri, cum saeuum cupiens contra contendere monstrum aut mortem appeteret Theseus aut praemia laudis! non ingrata tamen frustra munuscula diuis promittens tacito suscepit uota labello. nam uelut in summo quatientem brachia Tauro quercum aut conigeram sudanti cortice pinum indomitus turbo contorquens flamine robur, eruit [...]	100 105
sic domito saeuum prostrauit corpore Theseus nequiquam uanis iactantem cornua uentis. Inde pedem sospes multa cum laude reflexit errabunda regens tenui uestigia filo, ne labyrinthis e flexibus egredientem tecti frustraretur inobseruabilis error.	110 115

- COMENTARIO FONÉTICO Y MORFOLÓGICO de las palabras en negrita. (1 PUNTO)
- MÉTRICA: mídanse con comentario los versos resaltados → 78, 87 y 97. (1 PUNTO)